



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 90119231**

§. 66. Joannis Delphini Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII. rum commodum impendit; suas enim  
A. C. 1688. ædes veluti in Academiam convertit,  
 ad quam Viri eruditi sæpissime quasi  
 in Palæstra ad literaria studia conve-  
 nerant. Romam redux statim variis  
 Congregationibus adscriptus est: Vixit  
 ibidem vitam Principe Ecclesiastico di-  
 gnam, largus in pauperes, munificus  
 in amicos, comis in omnes: tandem  
 vitæ suæ cursum absolvit, magno exter-  
 ris æque ac Romanis relicto sui de-  
 siderio.

## §. LXVI.

*Joannis Delphini Cardinalis mors.*

Quo anno Joannes Delphinus Cardi-  
 nalis obierit, non æque constat,  
 certum tamen est illum sub Innocen-  
 tio XI. commune mortalitatis debitum  
 exsolvisse. Erat is Patritius Venetus  
 a puero Clericali militiæ adscriptus,  
 tantaque linguarum & jurisprudentiæ  
 peritia imbutus, ut anno ætatis suæ  
 trigesimo *Sapienter* inter Reipublicæ Se-  
 natores sedere promeritus sit. Orator  
 ad Cæsarem, & postea ad Franciæ Re-  
 gem decretus, utilissime negotia Rei-  
 publicæ gessit. Interim defuncto A-  
 quileiensi Patriarcha, cujus Coadjutor  
 jam antea erat, viduatam Ecclesiam  
 administrare ab Alexandro VII. Papa  
 jussus,

ius, mira sedulitate ac vigilantia Pa-  
 storali, suo gregi præfuit, suarumque  
 virtutum odorem Romam usque exhal-  
 lavit: unde ab eodem Pontifice Pur-  
 pura decoratus, illam pietate & do-  
 ctrina illustriorem reddidit: tandem  
 laboris sui præmium, uti speramus,  
 in cælis beato fine adeptus est, annos  
 septuaginta & unum natus.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1688.

§. LXVII.

*Paderbornensis Synodi decreta.*

Die decima Julii Hermanus Werne-  
 rus Paderbornensis Episcopus Diæ-  
 cesanam habuit Synodum, in qua præ-  
 primis statutum, ne exercitium Aca-  
 tholicum sive publicum sive privatum  
 toleretur, nec Prædicantes irrepere  
 permittantur, minus vero Catholici eo-  
 rum concionibus aut aliis sectæ exer-  
 citiis intersint, Catholici autem Pastro-  
 res nonnisi per mediam horam aut  
 tres quadrantes concionentur, sedulo  
 autem a convitiis in A catholicos absti-  
 neant. Præcipit etiam Synodus, ut  
 in scholis latinis doceatur cantus Gre-  
 gorianus: vetitum vero, ne Ecclesiæ  
 per totam diem apertæ relinquantur,  
 ne sic furum direptionibus, aut aliis  
 profanationum periculis exponantur.  
 Statuit præterea, ut Pastor domo di-  
 sce-

Concil.  
 Guerr. t. 10.